

66.
Ductore Jehovah!
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

VINDICTA GENEROSA,

quam

*Consensu ampliss. facult. PHILOS; in Reg.
ad Auram academ.*

Sub PRÆSIDIO

Rectoris h. t. Magnifici

**DN. ALGOTHI A.
SCARIN,**

Hist. & Phil. Civil. Prof. Reg. & Ord.

pro gradu MAGISTERH,

publicae censuratio*n*i modeſte ſubmittit

ALUMNUS REGIUS

BENEDICT. BERGENHOLTZ

WEX. GOTHUS

Die 14. Martii 1741. loco horisq*ue* solitis.

ABOE, excud. Joh. Kizmpe, Reg. Acad. Typ.

P. Salinius

**INSPECTOREN Högacheade Herren/
Herr WILHELM PIHL,**
Min gunstige Herr Morsader.

Skal man sin DÅVÄNT kärlek vissa

Doch alsko then oß hädsker är:

Skal man sin HJEMND hungrand' spisa //

Som hat och afwund til oß bär /

Skal man hans ondskä glömmna bort /

Som jag här skrifvit välment fort:

Skal afwunds stygga sindde tunga

Med DYGDIGT LÖF man tycka ned /

Doch låta se / den eij betunga

Ram ÅDEA SINNE med sin sed;

Skal man mot ONDT tildebla godt

Med ett wähl fält och rågat mått:

Hwad är jag då eij skyldig giöra

Mot Ehr min hulda Morsar lär //

Hwad deber hör mig eij utföra //

Som jag betala aldrig lär?

I som alt godt / men aldrig ondt

Mig wüss / fast afwund Ehr eij skont.

Tag kareß mer än sådant minnas

I wördsamt sinne sánca ned /

Fast otacksamme många finnas

Mot Ehr / och luta nu på sned /

Jag huldhet Ehr doch aldrig skal

Förglata / tils min man blir fall

BEVEDIGT

ROB

Utl prof ett ringa pappers knyte
Jag offtar Ehr af vördsame stan' /
Jag har ej annat fått til byte/
Hvar med jag kund mig ställa in ;
Jag ber I ta'n det gunstigt an /
Fast det Ehr ej fördöxa kan.

EHR Hünlen hägne och försware
För alt förlåt och afwunds hot /
Hans ånglar stådje Ehr beware
För hwad Ehr vara kan emot :
Han låte mer än jag kan be /
Ehr nöje af all välgång ske.

Han läre Ehr s ro få lefva
Som Silfverhären länge prydts /
Som runnie hwad wij efterstråfva
För det wij här os möddat / brydt /
Ett åhrbart namn / En krona skön
Som flåtad är af heder / Ldn.

Han låte här Ehr tiden skrida /
Förutan ånglan pust och qwahl /
Doch når chek månd til slutet lida
Doch I ska lämna werldens dahl :
Så unne Hünlen Ehr den frögd
Som finns i lefva Hünlen högd !!

Högachtade Herr Inspectorens

Hdmula sienare
BENGT BERGENHOLTZ.

Clarissimo Domino Philosophiae Candidato

BENED. BERGENHOLTZ

Amico integerrimo de Vindicta Generosa publice
disputaturo:

Pellpita dum vindex scandis victorqs triumphas
Magnanimus, Musis ultio bella placet,
Dumque doces laesos noxas & dicta molesta
Lethais undis tradere perpetuo:
Non Tua parnassus celebris conamina pulcro
Immemor adspicies, dulcis amice probe,
En redimitus eris, viridi Tua tempora lauro
En animus dominans pramis digna feres
Hac meruit virtus, constantia, sudor amarus
Hac Tibique eveniant candida corda rogant.

amicissime ergo hoc quidquid est carminis

ERICUS RENESTROM

BENED. BERGENHOLTZ

CONSPECTUS

- §. I. Proemium viam ad institutum sternit.
- §. II. Definitionem vindictæ generosæ, ejusque objectum tradit.
- §. III. Majores injurias in alio atque alio statu considerat.
- §. IV. Quo pacto magnanimus injurias leviores excipiat, inculcat.
- §. V. Ut ha. impunitæ relinquantur, conditionem statutæ naturalis & civilis requirere, demonstrat.
- §. VI. Duella ob leviores causas suscepta damnat.
- §. VII. Casus enumerat, ubi majores quoque injuria condonanda sint.
- §. VIII. Quonodo offensiones unius reipublica cives mutuo excipere debeant.
- §. IX. Casus tangit, ubi minores injuria identidem vindicanda.
- §. X. In respectu ad gentes integras quia statutum censendum sit, inquirit.
- §. XI. An propter leviores injurias bellum gentis in gentem licitum est censendum?

SECTIO POSTERIOR.

- §. I. Rationum, que studium vindictæ generosæ sectandum sit, primam imitacionem perfectissimum Divinarum esse ait.

§. II

- §. II. Dic̄a Scripture in subsidium vocat.
§. III. Honorem & bonam existimationem sine
scelere nemini posse auferri, contendit.
§. IV. Ladentes sui ipsius ultores sunt atque toro
menta.
§. V. Convicia laſis commodum afferunt.
§. VI. Utilitatem moveat, quam vindicta ges-
neroſa adfert.
§. VII. & VIII. exempla plurima refert pere-
grina & domestica herorum virtute hac pradito-
rum, & finens dissertationi impedit.

SECTIO HOSTIS

3

injurias intelligimus illas, quæ directe ad **damnum**,
interitum & ruinam fortunarum nostrarum tendunt,
qvibus gloria Dei læditur, vita, membra, salus &
existimatio nostra periculosa aleæ exponitur, & de-
niqve lecuritas, qvam ubiqj sartata tectamque spon-
dent, & quantum in se conservatum eunt leges na-
turales, nefarie turbatur. Has vero, tam in statu
naturali qvam civili, suo modo justo & ad quem-
cunque statum proportionato vindicandas esse, ex
fine societatis, tam communis, ut puta generis toti-
us humani, qvam particularis civitatis cuiusque
patet. Si enim enormia, aperta & manifesta ice-
lera impunita relinquerentur, vitia in immensum
& infinitum iri multiplicatum, tranquillitatemque
publicam non modo lubrico, verum nullo prope
fundamento niti, bellumque omnium in omnes ex-
surgere, & præsentissimum inde generi nostro in-
teritum accelerari, quisque videt.

§ III.

PRO diversitate status, sub quo vivit homo, die
versimode quoque circa vindictam sumendam
& effligitandam sele gerere debet. In statu natura-
li, ut quisque non actor tantum, sed & judex & ex-
ecutor, imo quoque testis ipse solus omnium ma-
lorum, qvæ aliunde ingruere solent, est. (1) Ita
injurias ipsi soli quascunque vindicare licet in illa
vitæ conditione, & transgressorē, ut pœnas suo,
non alieno arbitratu det, adigere. Sed prout, in
illo statu, ubi ex proprio judicio diriguntur omnes
adū ad conservationem tendentes, difficillimum

est in infligenda pœna observare illam mediocritatem,
quæ intercedit inter nimium & parum; (b) Inde cui-
vis in promptu etiam erit videre, quanta inibi, inter
agendum, cura & circumspectione opus sit unicui-
que, si terminos inter finesque constitutos conti-
neri velit, & demum caveret, ne à tramite hone-
statis in neutram partem deflectat. Oportet gene-
rosam mentem caveret, ne vindictæ cupiditate insa-
tiabili flagret atque delectetur. Potius dum resipis-
cit inimicus, reparationem utcunqve præstat, & fi-
dem de nulla in posterum injuria inferenda suffici-
enter exhibet, illoco omnis acerbitas & odium a
parte læsi etiam cessare debet. In statu vero civi-
li, ubi naturale vindicandi jus in principem transla-
tum voluere cives, propria vindicta ubique illicita
est. Unde conseqvitur, non nisi ordinario modo &
legitime apud eundem, puta principem, propter e-
jusmodi injurias, vindictam, sive rectius *pænam* esse
ambiendam & ab ipso solo exigendam. Qvod dum
sit, videre oportet generosum animum, ne penes se ulli-
us odii, acerbatisve potius lenitatis & placabilitatis
indicia apparent & coram spectentur. Non pœna
semper, sed correptione, imo illa quoque non ra-
no prætermissa, pœnitentia contentum esse oportet.
In primis si non ex alto venire nequitiam viderit,
sed summo, qvod ajunt, animo hærere, impunita-
tem dare oportet neutri nocitaram. Meminisse de-
bet in foro litigari, non ut cupiditas vindictæ sa-
rietur, hoc est, pestiferum gaudium sentiat lædens; ex-
passion-

quamvis frustra aggrediuntur. Sunt ista modo,
 circa quæ maxime mansuetudo & vindicta generosa
 versatur. Quisque virtute pulcherrima hacce,
 omniumq; ex iudicio SENECAE, præstantissima præ-
 dictus fuerit, ejusmodi leviora offendicula indigna
 habet, quæ excelsam mentem illius moveant, aut
 ad quæ curam suam cogitationem reflectant; non
 ennoiat, aut attendit talia, inquit, aut risu dignæ putat,
 verum in aliud dimittit & transcurrit, tanquam vanas
 somniorum species, ususque nocturnos nihil habentes solidū
 atque veri. (e) Ejusmodi cœnum & habet & appellat,
 quæ nullum & conjectum in se ad pedes recumbere si-
 nit. dignum putat, quod calcet, adpicere & contricaro
 nullo modo velit. (f) Illo vero, quo quælos contume-
 liosiore ultionis genere utri quisquam possit, quam
 si indignam habuerit alienam soliditatem, quam
 attendat, ad censuram atque pœnam depositat? Est
 illa mali medicina vera, & quia, cum ratione,
 sineera quoque, ad quam respexisse videtur gene-
 rosi animi estatum MARII apud SALLUSTIUM, dum
 inquit (g) me quidem ex animi sententia nulla oratio le-
 dere potest, quippe vera, necesse est bene predicer, falsam,
 vita moresque mei superant. Unde ex sententia Sene-
 cae (h), magis ille magnificos de impudentia tri-
 umphos agere censendus est, qui dissimulando &
 contemnendo, imo, si occasio tulerit, benefacien-
 do vicerit alienam maledicentiam, eandemque bo-
 lo in os objecto isto, ad humanitatem & justitiam
 reducere allaboraverit, quemadmodum jam ante-
 dictum a nobis fuit, atque ejusmodi vindicta ge-

Hoc homini cum brutis animantibus commune deprehendimus, ut omnia quæ rui-
nam & interitum accelerare, aut alio quo-
cunque modo noxia sibi & adversa existi-
maverit, summo studio avertere & amoliri tentet,
utilia vero & salutitera in se derivare voto & mo-
do omni exoptet. Hinc est, quod si quem aufu-
temerario vitæ suæ, bonis, famæve infidias struere
animadvertat, ex inclinatione nescio quâ malignâ,
in iram primum, mox vindictam atque ultionem te-
ratur. Cum verò indoles humanæ creationis, legi
brutis insitæ multis præstet para langis, rationeqve
a summo Creatore prædictus sit homo, ad cuius a-
missum actiones componere & effrænos suos affectus
temperare oporteat; inde eidem, ad quodvis of-
fendiculum more ferino sèvire, neutiquam conve-
nire, quisqve videt. Potius sicut animi generosi
& moribus exculti hominis est, ceteras suggestio-
nes & impetus male lanæ carnis suæ intra rationis
gyrum coercere, ita iram & vindicandi cupidita-
tem, ne mentem illa furore suo præcipitet, cave-

re oportet quam maxime: quippe quo affectu, SE-
NECA judice, nullus humano generi pluris stetit. Hinc
est, quod injurias sibi illatas modo rigide prosequi
quicquam debeat, & ab illis, qui easdem inferunt pœnas
exigere: modo etiam contemnere & impunitas
relinquere, prout finis & salus, non illa humani
generis solum, sed & societatis, in qua vivimus,
decus & securitas requirit. De posteriori genere
vindictæ, puta moderatione iræ in delictis aliorum
puniendis, quandoquidem in præsentia agere nobis
propositum est, Benevoli Lectoris, si qua parte
peccaverimus, æquanimitatem, qua pars est, prece-
votoque obtestamur.

§ II.

Per Vindictam generosam ejusmodi animi modera-
tionem sive lenitatem intelligimus, qua quis
injurias sibi illatas leviores non ex iracundia rigi-
de persequitur, sed easdem dissimulat, non animo
suo modo effluere atque deleri patitur, verum, si
occasio tulerit, inimicum insuper etiam beneficiis
prosequitur: & demum honestiore ultiōnis genere
isto, ad pudorem & meliorem frugem perducit.
Hac data descriptione, ad objectum virtutis nostræ
considerandum statim properamus. Omnia vero,
quæ vindicandi studium apud hominem excitare
possunt, injuriarum vocabulo comprehendere nobis
liceat. Has iterum in *majores* & *minores*, aut si ma-
vis, in *graviores* & *leviores* dispescimus. Qomodo
vero circa utrumque genus generosus affectus esse
debeat animus, paucis disquiremus. Per *majores*
inju-

nus DIogenes olim inculcavit, interrogatus a quodam quomodo maxime posset ulcisci inimicum? Si be ipsum, respondit, probum & honestum virum prestito. Factis autem honestis atque justitia hostem vincere, minor res non est, ita vero conducibilior etiam quam armis parta victoria. (i) Est illud, POLIBIO teste, regio animo & magno cum pietatem adversus Numen, tum contra inimicos iram suam explicare.

(d) Conf. sap. Cap. 4, p. 183. confr. cap. X. p. 216.

(e) libr. cit. Cap. IX. p. 214. Cap. XI. p. 220., 221.

(f) libr. de mente comp. & tranquilla cap. VIII. p. 46.

(g) Salust. in Jugurt. (h) libr. cit, C. XIII. p. 235.

(i) Conf. orat. CIC. pro M. Marcello, Cap. 4.

§. V.

AD illum vero modum deliniri inimicos, jungi interum & cum iisdem postlimio coalefcere oportet hominem cujuscunqve religionis, status aut vitæ conditionis fuerit. Patebitqve veritas illa magis magisqve, si cui ad finem ipsum societatis utriusqve communis & civilis reflectere volupe fuerit. Si enim in statu naturali vivens, circa minoris momenti ejusmodi, jure talionis illico useretur, & ad maiorem quamcunqve offensiunculam bellum Martemqve e vestigio laceffere inciperet, videt quisqve litigiorum nullum futurum esse modum neqve finem, sed bellum omnium in omnes continua exarsurum, adeoque benevolentiam & securitatem publicam qvovis momento turbatum iri. Partatione in statu civili, qvæ qvantaqe turba qvæsto! qvæ

con-

confusio existeret, si leviores lapsus, adeo non multum nocivi in sinu gerentes, rigide & morose in foro excuterentur? profecto in immensum crecerent lites, magistratus & tribunalia sterilibus litigiis gravarentur inutiliter; quæ vero in rationem necessitatis venire deberent, plurima prætermittentur. Unde prudentissime leges civiles turbis & rixis civium justum statuere modum solent, & illic omnibus, qui fori sanctitatem temerariis litigiis profanare sustinuerint, pœnam justam determinant.

(k) Leg. Pas. Tit. conf. Rattg. Balt. Cap. 29. §. 1.

§. VI.

Hinc facile liquet, quid habendum sit de duellis, quorum specimina *GOTHOS* primum, sed non nisi judicialium, in australibus Europæ partibus jam olim dedisse, sunt, qui existiment. Eadem, postquam expiravere publica, propter umbras atque nugas passim & ubique inter privatos intendi solere iniri que, res ipsa loquitur (l). Sed quæ, cum interpretantis perversitate animi magis, quam alterius partis virio aestimanda veniant, illicita penitus, inhonesta & generoso animo indigna, quisque videt. Unde non satis mirari possumus, etiam illos, qui præ ceteris generosi & nobiles salutari amant, misero genere hocce vindicande famæ & existimationis suæ, delectari identidem; non videntes ignobilis, abjecti & vilis, nullo modo generosi animi documentum edere, quotquot redimendi honoris sui diverticulum illud ingressi fuerint. Si enim, ut dicit *SENECA* (m) non nisi ingeniorum na-

tura infirmorum & multibrium, & inopia /veræ
 injuriæ laiciventium est ejusmodi leviculis commo-
 veri, & multo magis ob hæc eadem in duella illico,
 idque temere & inconsulte, ruere inconveniens &
 inglorium erit. Vanissimi sunt, quicunque non ex
 crassiore filo constare existimant famam boni viri,
 sed instar telæ aranearum debilem & imbecillam
 putant, qvæ tentias minima, & vili re qvacunque
 rumpatur. Unde animo volvere & revolvore o-
 portet illos, qui callem irrationalem brutorum istum
 premere ambient, qvod apposite ad rem scribit
 philosophus & imperatoriæ juventæ moderator idem:
 (n) quo quisque, inquit, honestior genere, fama, pa-
 trimonio est, hoc se fortius gerat: memor in prima acie
 altos ordines stare: contumelias & verba probrosa & igno-
 minias & cetera debonementa velut clamorem hostium
 ferat, & longinqua tela, & faxa sine vulnere circa galeas
 crepitantia. Cogitent hi, qui per humanos casus, hu-
 mili qvam generofo animo incedere malunt, carce-
 ris & exilii mortisqve supplicium, qvam verborum
 contumeliam minoris æstimant, qva nominis sui
 fama & magnitudine rerum domini: **ANTIGONUS**, **Q.**
FABIUS, & instar omnium caesar **O. AUGUSTUS** prurien-
 tem ferociam inimicorum suorum supplantaverint,
 cum in temerariam aleam ab iisdem provocaren-
 tur. Pugnam se minime detractare, responderunt, sed cum
 sibi, non hosti commodum videretur. Interea si eosdem ta-
 deret vitæ, aut omnino pœnitentes, ad atria Ditis portas un-
 dique patere, modosque finienda vita alios infinito nume-
 ro prostat.

B

(l) libr. cit. cap. X. p. 216, & Cap. XVI. p. 248, 249.

(m) libr. cit. cap. X. p. 214. (n) libr. cit. cap. XIX. pag. 264.

§. VII.

Quamvis autem præcepta hæc de majoribus
 injuriis legitime vindicandis, minoribus vero
 condonandis in genere valeant, in specialibus casibus ta-
 men ad calculos vocata, rigoris non nihil amittunt
 interdum, sibiq; aliquantulum decedere paciuntur. Dan-
 tur enim casus, ubi majores injurias relinqueret impu-
 nitas, easdem honesto silentio præterire, & volun-
 taria obliuione sepelire, magis utile; levioribus &
 contra delictis ordinariam poenam imponere publi-
 ce expediat. Ita si qvæ subiade majores injuriæ fuerint,
 qvæ *Civis* abs civitate, sub qvæ vivit, & populo toti a
 principe inferuntur; qvis non agnoverit in illo ar-
 ticulo satius esse omnino generosa vindicta uti, qvam
 diverso itinere sui ultionem festinare? Heic enim
 obtinet, qvod dicit *PLAUTUS*, *indigna*, interdum
 celanda esse, *REX*, addo: *civitas, qvæ facit*. Ita *ARISTIDI* &
ALCIBIADEI Græcorum ducibus, qui contra jus & fas im-
 exilium utriq; pulsi erant ab ingratissimis civibus,
 magnæ laudi vertit, qvod injuriarum ejusmodi ci-
 to oblii fuerint, & nihilominus, etiam sub exilio,
 civitatem & patriam, qvibus potuere modis, adju-
 verint. De injuriis, quæ a parentibus, a præceptor-
 ibus, verbo: qvæ inferioribus a superioribus in-
 feruntur, modo prorsus intolerabiles & patientia
 humana superiores non fuerint, neq; ad vitæ bo-
 norumq; promiscuam destructionem tendant, idem
 dicendum; filiiq; exemplo illius, qvæ diximus,
 non incommodè illustrari posse videntur, qui a pa-
 rente irato interrogatus, qvid in schola didicisset,
 respon-

respondit: didicisse se commotiones & turbatam i-
racundiam parentum, pie a filiis dissimulandam es-
se. Ad illum modum, quisquis consulta a majo-
ribus perverte, molliter, id est tolerabili ansa prehen-
derit, næ ille aliud non præstat, quam quod ipsis
bi sëpe aliisve jam ante multo præstero. Teme-
ritatem filiorum una cum ceteris desideriis juvenilibus,
qua in ætatem florentem non exiguo numero in-
currere solent, quâ non tranquillitate patientiæ su-
stinent, devorant & abscondunt parentes? ne quid
de vindictæ genere politico, eodemque principibus
usitato dicam, quos perinde clementia nativa,
quam maxime vero facies ipsa rerum ad mansive-
tudinem vocat, injuriæque patientiam, qui adver-
sus refractarios, domi forisque occurlantes bella ge-
runt, non ut perdant & extingvant, sed ut quæ
deliquerint illi, viâ, quâ fieri potest, mollissime e-
mendanda current: non ut innoxios eadem cum no-
xiis pœnâ involvant, verum ut hosce, qua in re
cunqve deliquerint, una cum infontibus salute im-
pertiantur.

§: VIII.

Interdum contingit etiam, ut inter cives reipu-
blicæ hujus vel illius, de publicis negotiis consultan-
tes litigia, & inimicitiae oriuntur improviso. Fit,
ut qui contrariae fuerint tententiæ atque factionis,
dissentientes injuriis & convitiis quoque lacescant.
Verum non honestum tantum, sed e re & salute
civitatis quoque esse existimamus, ut si qua in re,
cerce in illo statu, cives alii erga alios eximiam

hanc virtutem exerceant, suosqve excellae indolis, patientiæqve radios exsplendescere faciant. adeo ut injurias omnes, etiam illas, qvæ acerbiores videri poterint, oblivioni qvantocius mandent, & junctis viribus atqve consiliis felicitatem civitatis promovere studeant, ut audiat dissensus eorum amicus, & propter bonum reipublicæ unicè suscepimus, non vero privatus, atqve ex particulari odio ortus & deniqve turpiter continuatus. Qvod cum non nisi stipulata & in usum vocata honesta oblivione h. e. vindicta nostra generosa fieri possit; eademqve neglecta consulendi ratio præsentissimum damnum toti civitati non possit non accelerare, qvantum generosa vindicta, id est mera alto mari injuria- rum memoria in omnes vitæ partes valeat, vel per transennam qvisqve videre potest.

§ IX.

CONTRA, injurias, utut leviores, qvæ munus honoratum hujus vel illius in republica tangunt, impunitas relinqvere non ubique, neqve semper consultum habetur. Prout enim propter salutem civitatis & ordinem decentem officia hæcce instituta sunt; ita & maxime e re est, ut sancta & inviolata conserventur, h. e. ut qui ea obeunt, in singulis partibus, debita autoritate gaudeant, colantur & observentur ab illis, qvibus obsequii gloriam Dii relata volvere. Qvod fieri non posse videtur, si quovis injuriis expositi viverent, & denique viribus & celis promiscue instructis in illos insurgere probabitu, idqve impune liceret. In illa licentia officia

officia publica ad vilitatem opinione citius adductum
erit, quisque videt. Quidam, malorum turbæ numero-
siori hominum, quæ jugo legis & magistratus, libe-
rari cupit, injuriarum ista, ut ita dicam elemen-
ta, occasionem præberent catervatim irrumpendi
temere, & præter meritum aliis insultandi. Ita ob-
servante nobilissimo GILLENSTOLPE (o) CHRISTUS
ipse personali injuriam, quod Samaritanum appel-
larint Judæi, silentio præterivit, officiale autem
quod dæmonium habere dixerint, a se justo modo
removit atque confutavit. Joh. 8. 48. 49.

(o) Coll. Etb. diff. Etb. s. §. 27. p. m. 153.

§. X.

Neque leviores injurias civitatibus, & qui sisdem
cum imperio summo president, illatas ab aliis, qui
in eodem statu vivunt, dissimulare semper, eas-
demque per vindictam generosam saltem, eludere ex-
pedit. Propter æquilibrium enim, quod inter re-
gna omnia servari debet, admodum periculosum
est læpe, vel minimum, quod ad damnum & de-
decus civitatis tendit, sine retorsione, aut saltem
innocentiae manifestatione apud alias gentes, in medio
relinquere; maxime cum satisfactione omni missâ,
ad minimum deprecatione nulla læso præstítâ, au-
toritas & majestas regni, non possit non suo quo-
dam modo diminui, & occasio hinc inde nasci aliis,
republicam ipsam pari modo i. e. libidinose in-
sultandi. Accedit quod, quæ civitati toti alicui,
ejusque administris, præsertim imperanti tanquam
capiti intentatur injuria, ut ut in ipsa herba, tenu-

is adhuc nulliusque momenti esse videatur, quatenus tamen ex animi proposito, consilioque non unius, sed cum pluribus saepe communicato (Regis puta & ministrorum, vel aliorum, quibus vertitur cardo reipublicæ illius, quæ injuriam infert) proficitur, adeoque quam primo intuitu adparet, altius plerumque tendere soleat, maligni & malitiosi plurimum sinu doloso recondens ; ab initio & ipso quod dicitur, limine operis, necesse omnino ut super primatur. Alias, ne stirpe matura efflorescens difficeret inde tolli possit malum eradicarique, maximopere metuendum.

§. XI.

AN vero propter leviores, ut videri possunt, injurias, civitatis uni alias bello aggressi fas sit, paucis dispiciendum. Existimat KULPISIUS (p) sicut in republica, tanta accuratio obtineri non potest, ut in civibus qualiacunque delicta semper puniantur ; ita inter gentes diversas perperam acta ad stateram & cum pulvitulo per omnia neque excutienda esse atque vindicanda. **M**inora & vulgaria potius dissimulari debere contendit : quod & de inchoatis dicit, nisi aut res gravis appareat, aut jam conatus aliquis eō processerit, ut ex tali actu certum malum metuendum sit, etiam si nondum illud, quod intendebatur, secutum fuerit. Nobis vero cum non de facto, sed jure agere sit propositum, vixque illa esse possit injuria, quæ toti populo, sive illi, qui eum repræsentat, infertur, quin, si in medio relinqvatur, insigne damnum civitati, quemadmodum modo dictum fuit, acceleret ; ita si lædens neque injurias illas

75

llatas opportune agnoscere velit, neque reparatio-
nem aliam quamcunque dignam sufficientemque
præstare, tum læsa civitati bello jus suum sibi vin-
dicare neque incongruum neque inhonestum arbi-
tramus. Autu *enim* hoc suo temerario dudum læ-
dens, sive *imperans* fuerit, sive *respublica*, ostendit
se alteri saltem præeminere velle. Vicinam gen-
tem facto hoc ipso præ se contemnit & præce-
ptum illud, quo jubemur, omnes in statu natura-
li viventes æquales invicem nosmet agnoscere, te-
mere violat; immo, de omnimoda supplantatio-
ne & destruptione reipublicæ læsa non animum &
studium, sed vel vires vel occasionem sibi deesse
significatum venit. Qvod si privatim metus cadere
potest in *constantem virum*, in quo cessat respectus
juris gentium, eundem in *constantem Senatum* in publi-
ca caussa magis juste cadere posse, nemo non vi-
det. In utroqve statu, præcipue vero gentium illo,
ubi non singularis, sed universæ reipublicæ salus
periclitatur, ex illata injuria, immo prævisione
manifesta imminentium damnorum, ne ignavia *Len-*
tuli (*q*) in futurum detrimenti quid capiat respu-
blica, in tempore prospiciendum.

(q) Sallust, *Bello Catilin.* p. m. 177.

SECTIO POSTERIOR.

§. I.

PRO ut omnis moralistarum scopus eo tendere
debet, ut non tantum virtutes describant, sed
et illas alacriter lectionas & amplectendas homi-

nes etiam permovereant, alliciant, impellant: ita & nobis in præsentia quoq[ue] ratio instituti postulat, ut sectione hac posteriori caussas adducamus, qvæ studium & amorem virtutis illius, de qua paucis egimus, excitare posse videntur. Qvarum prima est, qvod huic virtuti studentes, qvodammodo *perfectio-*
nes Divinas imitentur. Condonat enim DEUS qvotidie inimicis sibi, h. e. transgressoribus perditissimis non tantum leviora, sed & majora peccata, eaq[ue], ad edictum revelatæ veritatis luæ, a tergo removeret, & reponit qvam longissime, peccatores ipsos insuper innumeris beneficiis afficiendo. Nos, si DEO assimilari ejusq[ue] imagini conformari velimus, tanto magis sollicitos esse oportet, ut in delictis aliorum conniveamus, si qva, ab iisdem turbatis atq[ue] iratis injuriâ affecti fuerimus, qvanto labamur ipsi multoties, nihil magis in votis habentes, qvam ne nostris moribus aliorum patientia infringatur. Sunt diversæ mensuræ Domino abominationi. Qvam autem inique comparatum est, si alteri tute eadem mensura metiri reculaveris, qvâ tibi illum metiri expetis? Referri meretur doctrina hæc inter practicas illas, qvas *emanationes scri-*
pturarias VERULAMII appellat, qvæ ex Scriptura S. exprimuntur; non tanquam ex torculari, sed sua sponte, naturæ leges non invita planè, ex illo fonte scaturiunt, omnibus illis emolumento maximo, qvæ ad perfectionem hujus & futuræ vitæ adspirant, in que usus suos derivare ipsi non subterfugiunt.

§. II.

Gitur tanquam homines, præcipue vero ceu Christianos ipsa precepta verbi Divini nos ad operam huic virtuti dandam obligare debent. Ita CHRISTUS Matth. 5. v. 22. qvemvis iunii, sine causa, h. e. ob leviores injurias irasci prohibet. Pari modo v. 39. nos jubet non resistere malo. Et Paulus Rom. 12:17 nos non debere reddere malum pro malo docet. Qvæ dicta, ut plurima alia prætereamus, satis superqve evincunt communis naturæ, consanguinitatis & religionis intuitu, defectiōnem fratrum, si levior existat, condonandam omnino & impunitam relinqvendam esse (a). Immo si cœlestis generis & originis consortes haberi velimus, unicuique convenit magis patientia ac magnitudine animi nosmet contra ejusmodi tela defendere, qvam jure talonis, vindictam in foro rigorose & morosè efflagitare.

(a) Gen. 50:17.

§. III.

Porro ad animum revocare oportet malevolos & obrectatores, per convicia & calumnias suas non posse existimationem atque famam nostram nobis auferre, nisi nosmet ipsi delicto enormi aliquo illam priores perdiderimus. Ut enim virtus, intrinsecum est bonum, qvod nobis invitatis demi non potest; ita etiam illa, qvæ hanc induculo nexu concomitatur boni viri existimatio. Qvamvis igitur improbniomen & famam eorum, qui virtuti student, lædere tentent, mendacia dispergant, cavillationes

excogitent (*b*). Nihil enim tam sacrum, qvod facile legum non inveniat; & qvorum sanctior simpliciorque innocentia fuerit, ita ut alios lacestere nesciant prope, illi ignominiis ipsi & contumeliis ab probitate s̄apie expositi sunt, etiam ab illis, a quibus putarint nil sibi esse timendum. Qvani- diu tamen catena virtutis interrupta non deprehen- ditur, nihil efficiunt convicia; manet honor, ma- net gloria, manet existimatio illæta, & ut scribit *SENECA*, injuria injustè irrogata, ejus infamia est qui fecit, non illius, qui eam patitur. Sit, ut au- diat malè nomen eorum apud imperitam plebem, qui opinione regitur & virtuti premium statuere nescit; iuuriis ejusmodi vulgi, dicente iterum *SE- NECA*, (*c*) non dolendum est tamen; alsoquin multa, tē- more contumeliarum aut taedio, necessaria omittimus, & publicis privatisque officiis, atiquando etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid con- tra animum audiendi. Mens quippe generosa & excelsa spirans, longe supra & laudes & vituperia posita est. Qvod si verum, tanto procliviores erimus ad ejus- modi injurias condonandas & silentio involvendas.

(c) Löfgren libr. cit. cap. 8. p. 46.

(d) lib. cit. cap. XIX. p. 262.

§. IV.

ACcedit, qvod ejusmodi male feriati homines, sui ipsius vindices agant. Facile enim liquet, non nisi virtutem, fortunam & felicitatem nostram eos offendere. Sola miseria, ut dixit non nemo, caret invidiâ. Ea vero conspicua bona nostra dum destrue-

re conantur, præter intentionem suam mentemque
magis promovent & illustria reddunt. Ut enim solis raa-
dii in fordes & caligantia loca conjecti illustrant, non enqua-
nantur; sic virtus & inculpata vita, quo magis impetratur,
eo clarior est, palmæ similes, quae oneri non cedunt,
non infra flectuntur, sed contra assurgit; & arboribus,
quae altius radice terram comprebendunt, quo saevius ven-
torum furiis exigitantur. (e) Qvod dum vident im-
probi, laesum nempe conviciis ne minimum quidem flecti,
sed virtuti ledulum inhærere, adeoque
non posse non magis magisqve assurgere & emi-
nere: tabescit invidus animus eorum, vires & medulla
consumuntur, iplisqve sibimet, non vero qvibus inju-
riam inferunt, accelerating dolorem. Est illud prunis
candentibus ustulare inimicos, eisque ruborem in-
cutere, ut erumpere demum non possint neque ve-
lent ad injurias, qvamvis cogitatas. Unde SENECA,
genus ultionis est, inquit, eripere ei, qui fecit, contumeliae
voluptatem (f) & CHRISOSTOMUS: si vindicare vis, ait,
sile, & funestam dedisti inimico plagam. Præterea ejus-
modi convicia & scismaticata non possunt non pro-
venire ex animo vitiis imbuto & pleno. Unde po-
tius miseratione, qvam vindicta digni sunt malevo-
li hi homines. Est enim nequitia miseria magna. Mi-
seri sunt, eo magis, qvod conscientiam lauant,
vindictam Divinam provocant, & apud bonos o-
mnes contemtui lemetiplos exponunt. Infelicissimi
veno eo, qvod stultizæ morbo laborant; & puerilita-
te, ad effatum SENECAE; etiam post canos saepè dele-
stantur atque aguntur. Unde ausus eorum temera-
rios

rios, non aliter ac rabiem phrenetici & maledicta
febricitantis excipere debet vitæ purioris studiosus
qvisque: Patientiâ atque innocentia si lalentis Deae
morsum eludere & recundere animo constitutum
q̄ris habeat; sicut ignis in aquam, sic falsum cri-
men in castam vitam conjectum, nullo invento
pabulo, unde inflammari, aut sede, ubi morari
possit, opinione citius evanescit.

(e) vid. diss. beic 1707. bab. inscr. Triumph. gener. animo.

(f) lib. cit. cap. XVIII. p. 253.

§. V.

Inviti etiam convitiis & declamationibus suis
malevoli homines innocentibus utilitatem afferunt:
Neque enim animum eorum modo exercent, sed
& robur addunt fortisqve & intrepidos reddunt ad
qvævis adverba patienter terenda. Qui enim livori,
invidiae, odio subjectus nunquam fuit, si inimicum conti-
maciorem invenerit, contrahet se se demittet, aut in pa-
rem insaniam cum eo incidet. Qui vero diu multumque
contumelias ferendis cavillationibusque se exercuit, vetus iam
militiae bujus, tam leves ictus non sentit. præcipue ve-
ro iis, qvæ non nostra, sed aliena. eademqve
in sola potestate exercitorum patientiæ nostræ sita
sunt, iisdem, inquam, non admodum moveri pertur-
barique, sensim magis magisque addiscit. quid?
quod, ubi animo convictus fuerit, ea qvæ mussi-
tent aut dixerint alii, neutiquam in sua manu po-
sita esse, penes se constituit demum, de eo unice
sibi laborandum esse, qvomodo convicia obre-

Etanc

Estantium innocentia eludere & contrariis factis repellere possit.

§. VI.

TEndit insuper generosum & per se amabile virtutem genus hocce ad nostrum commodum & alterum conciliandam nobis benevolentiam. Inimicos enim habere periculatum est. Hac autem virtute inimicos nobis amicos, quamvis non semper, saepissime tamen reddere possumus. Nimis durus enim & perditus ille censendus, qui dum ab illo, cui injuriam infert, neque laeditur vicissim, neque odio habetur, sed beneficiis ornatur, non recipiscat & odium in amorem convertat. Qvod si veniam naturae malitia gratia oneri fuerit, & adeo perversus injuria alterum afficiens, ut nihilo minus in malitia perster, illam ex gymnasio patientiae victoriam referet tamen, qui virium degeneris animi alieni loco dissimulat, ut qui citra damnum affectus sententiam pronunciare solent boni, bene de eo omnes judicaturi sint. Illi dum constantiam, magnitudinem & aequanimitatem vident patientis majorem, quam quæ mutari possit aut consumi, non possunt non inflammari ad virtutem amore complectendam, generositatisque habita ratione ista, felicitatem & salutem eorum, quorum interest, pro virili semper & ubique promovendam.

§. VII.

AGMEN denique claudant exempla sanctorum aliorumque huic virtuti ditorum, quæ ut in animos, quam precepta efficacius influunt; ita quemvis

vis virtutis studiorum ad sui æmulationem magis etiam tracturos confidimus. Qvorum præcipuum præbet Salvator noster in secula benedictus JESUS CHRISTUS; cuius, uti jam ante diximus, tota vita iudicia hujus egregiæ virtutis spirat. Qui, dicente Apostolo, (g) convicciis obrutus, vicissim non maledixit, & patiens non minatus est. Præterea JOSEPHI in sacris clara est moderatio animi, qui fratum injurias non unius generis, minoris æstimavit, iñmo, beneficiis eosdem insuper etiam cumulavit. (b). Inter profanos PITTACI olim manegiuias insigne exemplum audit, qui potestatem habens puniendi quempiam, qui contumeliosus in ipsum extiterat, dimisit, inquiens: *Venia ultione melior est:* illa namque mitis est ingenii, nec autem ferini (i). Sunt illa alienigenarum gentium exempla illustria, ea quæ subsequi possent domestica, rotundo agmine, si ratio ipsa rerum institutique permittere vellent. Moribus Scandanorum quid justius, & in omni antiquitate sanctius? Qui dubitaverit SCHEFFERUM in memorabilibus S. Gotbicis audiat, & uti ceterarum, ita in primis hujus virtutis tam multas & claras imagines in nostra gente deprehendet, ut copia earum etiam peregrinos, si placeres conditio, instruere possemus.

(g) 1. Pet. 2. 23. (b) Gen. 50. 15. seqq.

(i) Erasm. lib. 8. apopb.

§. VIII.

NE vero peregrina, eademque tempore remota tiora saltem sectari velle videamur, proximorum incuriosi, quam illustrè exemplum vindictæ ge-

merita CAROLUS CANUTII rex Svetbiae dederit, mecum,
 agite, conspiciamus. Illo regnante, archiepiscopus
Upsiloniensis ad convellendam regis auctoritatem, re-
 gniqe libertatem ieritute Danica mulctandam o-
 mnem movebat lapidem. Demum confectâ
 scenâ, cum eo jam deventum esset, ut statione
 turbulenta archiepiscopus prior decederet, rex in-
 jurias regno sibi qve illatas æmulo non gratis solum
 condonat, verum misso ad eundem internuncio
 quoqve, ut sibi pridem inimico reconciliaretur, an-
 tequam miseram animam efflaret, quambis frustra, invi-
 tavit. (k) En pietatis cum impietate lacroqve fastu
 ad aras usqve, generosam contentionem? ex qvâ
 non spicilegium, sed trugiferæ messis multum sibi
 posteritas fecit. Etenim STENONEM STURIUM senio-
 rem atqve juniores rariore in hostes reverentiâ
 eadem, præcipue vero pontifices Sveo-Gothos
 Danicæ factionis ulos foisse, elogium ab A. Epo
JOHANNE MIGNO citatum:

sue

Parcere substratis est nobis ira STENONIS.
 plus satis indicat. Testantur cæsi ab eodem, incj ca-
 ptivitatem redacti Dani, quos liberaliter habitos regi eq-
 rum JOHANNI gratis nulloque interveniente redemtionis
 pretio remisit: & quo officio magnifico provocatus rex, cœpis
 in eodem modò hoste non solum fortitudinem & in rebus belli-
 sis industriam admirari, sed eximam morum probitatem quo-
 que venerari. Exprimunt & plus satis probant de-
 dum commeatuum & ceterarum rerum expensæ,
 qvas ad Christiernum, professum patriæ hostem, dona-
 tione usqve adeo liberali misit JUNIOR STENO, ut

sustinendæ exercitus sui extremæ necessitati abunde sufficerent (1). Animo verè regio pietatem adversus DEUM, suamque in hostes iram Principes Svebiae isti significabant. quo majore ad virtutem immortalitatemque tacto an aliis ascenderit: an ad sternendum hostem, stratumque illico attollendum clariore facinore exterorum quisquam contendenterit, admodum dubito. Sed cum rem latè patentem substringere modo iubeat necessitatis ratio, ne cui in colligendis nostæ gentis exemplis officiores existimemur & prope moleste seduli, hisce subsistentes, manum quod dicitur de tabula, cymbamque in portum subducimus.

(k) Mellen, Scand. illustr. t. IV. p 28.

(l) Job. Mag. Hist. Sveogoth. XXIII. p. 13. & 14. id. XXIV. 3.

